

Epistola B. Petri Apostoli Secunda

Cap. 1 ¹ Simon Petrus, servus et apostolus Jesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri, et Salvatoris Jesu Christi. ² Gratia vobis, et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri : ³ Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria, et virtute, ⁴ per quem maxima, et pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ : fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem.

⁵ Vos autem curam omnem subinferentes, ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, ⁶ in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, ⁷ in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem. ⁸ Hæc enim si vobiscum adsint, et superent, non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. ⁹ Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. ¹⁰ Quapropter fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. ¹¹ Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.

¹² Propter quod incipiam vos semper commonere de his : et quidem scientes et confirmatos vos in præsentī veritate. ¹³ Justum autem arbitror quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione : ¹⁴ certus quod velox est depositio tabernaculi mei secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. ¹⁵ Dabo autem operam et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

16 Non enim doctas fabulas secuto notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam : sed speculatores facti illius magnitudinis. **17** Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. **18** Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. **19** Et habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris : **20** hoc primum intelligentes quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. **21** Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.

Cap. 2 **1** Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui inducent sectas perditionis : et eum qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. **2** Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur : **3** et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur : quibus iudicium jam olim non cessat : et perditio eorum non dormitat. **4** Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reservari. **5** Et originali mundo non pepercit, sed octavum Noë justitiæ præconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens. **6** Et civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit : exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens : **7** et justum Lot oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit : **8** aspectu enim, et auditu justus erat : habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. **9** Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos vero in diem iudicii reservare cruciandos.

10 Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes : **11** ubi angeli fortitudine, et virtute cum sint majores, non portant adversum se execrabile iudicium. **12** Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, et in perniciem in his quæ ignorant blasphemantes in corruptione sua peribunt, **13** percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias : coinquationes, et maculæ deliciis affluentibus, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, **14** oculos habentes plenos adulterii, et incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii : **15** derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit : **16** correptionem vero habuit suæ vesaniæ : subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. **17** Hi sunt fontes sine aqua, et nebulæ turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reservatur. **18** Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur : **19** libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionem : a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. **20** Si enim refugientes coinquationes mundi in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicatis superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. **21** Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. **22** Contigit enim eis illud veri proverbii : Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.

Cap. 3 **1** Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem : **2** ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum, a sanctis prophetis et apostolorum

vestrorum, præceptorum Domini et Salvatoris. ³ Hoc primum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes, ⁴ dicentes : Ubi est promissio, aut adventus ejus ? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. ⁵ Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius, et terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo : ⁶ per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus, periit. ⁷ Cæli autem, qui nunc sunt, et terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii, et perditionis impiorum hominum. ⁸ Unum vero hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. ⁹ Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant : sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. ¹⁰ Adveniet autem dies Domini ut fur : in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera, exurentur.

¹¹ Cum igitur hæc omnia dissolvenda sunt, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, et pietatibus, ¹² expectantes, et properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent ? ¹³ Novos vero cælos, et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. ¹⁴ Propter quod, carissimi, hæc expectantes, satagite immaculati, et inviolati ei inveniri in pace : ¹⁵ et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini : sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, ¹⁶ sicut et omnibus epistolis, loquens in eis de his in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.

¹⁷ Vos igitur fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate : ¹⁸ crescite vero in gratia, et in cognitione Domini nostri, et

**Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem
æternitatis. Amen.**